



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Opvs De Iudiciis Divinis, Qvae Devs In Hoc Mvndo Exercet

Accessit index concionatorius in omnes totius anni dies Dominicos &
Festos, ab ipso Auctore confectus

Stengel, Georg

Ingolstadii, 1651

14. Naturali vi corpori, nec in duobus simul locis positione[m], nec
penetrationem dari posse.

urn:nbn:de:hbz:466:1-45686

sunt, insaniam simulare, ut fingendo morbo euadant, quod sacrilega impietate meruissent. Quin certum est, etiam in ipso sacro tribunali multas eiusmodi Orco mancipatas mulierculas; postquam verè cœperunt confiteri ac resipiscere, subita diaboli suggestione deceptas, omnia extemplo retractare, quæ paulò prius sponte confessæ sunt; quæ si urgeantur, ut constanter pergant pœnitentiã uti, dicunt, se prius quasi per somnium locuras, nec mente præsentẽ fuisse. Ibi Confessarius habet campum pugnandi, instandi, urgendi, adhortandi, ut bene cœpta non interrompant, & se tandem tam dira Stygij tyranni seruitute liberent. Cessit multis feliciter ille conatus, animasq; amabili constantia & cõstanti charitate lucrati sunt; quas utique fide statim mendacijs adhibita, per lenitatem perdidissent.

Sed, ut ad rhombum redeamus, etsi dæmon potest efficere dictis modis monstra ex hominibus, animaduertendum tamen est, quid agat, quando specie picæ, mustelæ, aut bufonis, vel etiam muris, aut felis, alteriusuè parui animalis tales sibi videntur apparere. Nam quemadmodum ipse non potest loca distantia ab inuicem, non occupato medio, simul implere, & idcirco nec vnum corpus in duobus locis disiunctis simul collocare; ita neq; potest quantitatem corporum sic mutare, ut inde partium penetratio sequatur. Quia id natura nõ permittit, & meritò cum Aristotele D. Thomas reclamation. Potest vtrumque Deus, vel diuina virtute Angelus; ita enim S. Nicolaus, S. Agatho, S. Benedictus, S. Ambrosius, S. Franciscus infinita Dei virtute, simul in duobus locis visi sunt; & D. Chrysostomus ait, Habacuc ab Angelo demissum & redemptum ex lacu clauso, & sigillis integris manentibus; docetq; cum D. Augustino fides, ita Christum Dominum post resurrectionem, ad discipulos clausis ianuis ingressum; sicut & clauso manente sepulchro resurrexit; & illæso claustro virginali in lucem prodijt. Potest hæc Deus naturæ dominus, & in virtute Dei Angeli boni; at spiritus mali neutrum possunt, quia nihil possunt supra vires naturæ. Quare, si Pythagoras, eodem tempore, in duabus urbibus conspectus est, ut de eo Origenes tradit;

XIV.

Petr. Tyræus
lib. 2. de spir-
rit. appar.
cap. 6 & 7.

S. Chrysost.
orat. de in-
credulit. D.
Thomæ.
S. Augustin.
tract. 121. in
Ioan.
Ioan. 10. 19.

Orig. lib. 6.
contr. Cels-
sum.

tradit;

trahit; si Imperatori patri filium suum exhibuit Theodorus monachus, vt scribit Zonaras, apparitiones illæ ab Angelis malis procuratæ, ad speciem tantùm visæ, re ipsa præstigiôsæ fuerunt. Facile est dæmoni, personam alterius exprimere & præsentare, si Deus permittat; sicut & à bonis Angelis fieri posse, negari nequit. Quin & quando venefici sibi videntur, in cicadas, mustelas, picas, immò & formigas contrahi, & per tenuem rimam in conclauē alterius irrepere, aut etiam per ianuas clausas, vel per circulum carbone in muro designatum ingredi, tunc vel dæmon eorum dormientium vices agit; vel eos dementatos occulit per glaucoma, ne toti videantur, monstratoque tantùm mustelæ alteriusque animalis corpore, cetera præstigijs tegit, & ianuam, vel fenestram, vel aliam per muros rimam totius corporis capacem latenter aperit, lapidibus alijque obstaculis, non minore dexteritate, quàm celeritate, exemptis, atque in suum locum pari velocitate repositis, viam intrandi exeundi que facit. Potest autem, vt supra dixi, species visuas, ne in oculos astantium perueniant, per corporis alicuius interpositionem, vel per nimiam aëris agitationem, impedire; vel corpus illud aliqua ratione vestire, vt tapetibus, vel parieti, vel alij rei simile videatur; vt factum esse credibile est, quando Apollonius Thyanæus se Domitiani oculis subduxit. Neque aliud fuisse putem Persei clypeum, apud Græcos; aut Gygis anulum, apud Ciceronem, quàm dæmonis talem fraudem, qui mediante solùm motu locali, & per eum actiua passiuus applicando potest esse causa talium mutationum.

S. Thom. 1. p. q. 110. a. 2. ad 2. & 3. & a. 3. ad 2. Gabriel Vafq. 1. p. disp. 218. c. 3.

Nulla enim est proportio spiritus extra omnē materiam subsistentis, ad corporeas qualitates ex potentia materiæ, vel subiecti materialis immediatè educendas. Sumit ergo agentia & patientia naturalia, eaque applicans, facit, vt talia, vel talia monstra, vel non monstra producantur. Atque ita satis explicatas puto artes mali spiritus etiam ex alijs monstra facientis. Vnde nunc expeditum erit, ad contrariæ sententiæ argumenta respondere.

XV.
Supra §. 1.

Ratio enim illa, à cælo ducta ad Angelos, non est valida; quia cælum quod viuentia producit, materiale est; vnde
propor-